



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Scala Jacob

Lindeborn, Jan

Antverpiæ, 1666

Approbatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49085](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49085)

APPROBATIO.

Liber, cui titulus *Scala Jacob*, &c. nihil fidei Catholicæ, nihil bonis moribus tradit adversum; sed ea exponit morum præcepta, quibus ipse flos Ecclesiastici germinis, Sacræ Virgines, bono Christi odore fragrantior & aspersis variarum virtutum coloribus pulchrior evadet. Legant ergo & prædicent illum illi quibus curæ est Virginum ornatus. Discant ex illo se esse amicos sponsi, à quibus nihil sceleratius fieri potest, quàm si Sponso suæ Sponsæ præripiant affectum; cum ad hoc debeant primitus aniti, ut ipsi minuantur & Christus crescat in illis. Advertent se Virginum polluere dignitatem, dum eas à secessu custodæ Puritatis per lutosos itinerum ducunt anfractus, & eas ita viarum comites habent ac si ipsi forent ille Agnus, quem grandi Beatitudinis privilegio, quocumque ierit sequuntur Virgines. Notabunt etiam, quòd quò sublimior sit Virginum honor, eò illarum sit cura periculosior, cui nullus est par, quàm cujus carnes timore Domini confixæ & cujus mens religiosa humilitate ad Deum semper manet conversa. Quicumque hunc evoluerit & expenderit librum, huic meæ subscribet sententiæ, ac mecum illum probabit & laudabit

ABRAHAMUS MATZIUS.

SS. T. Doctor.

1666. 15. May.

* 2

F A-